Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich

1669

Caput X.

urn:nbn:de:bsz:31-162645

Visual Library

CAPUT X.

EXAMINANTUR LOCA EX SS. PATRIBUS contra nos producta.

OBijces X. cum Stuckio fol. 31. & 32. ubi ait:

Patres hoc ipsum clarissimis docent verbis, puta, substantiam panis ac vini in Sacramento permanere. Theodoretus Dialogo I. *Voluisse Dominum*, inquit, *Sacramentis utentes non intentos esse in naturam eorum, sed per nominum mutationem credere ei, qua ex gratiâ facta est, mutationi. Qui enim naturale corpus triticum, & panem appellavit, & rursus seipsum vitem nominavit, is visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adijciens.*

Idem Dial. 2. *Mystica symbola post sanctificationem nequaquam propriam amittunt naturam: manent enim in priori substantiâ, & figurâ, & specie, & videri, tangique possunt, qualia etiam prius erant.* Sic Macarius Ægyptius

Hom.

Hom. 27. *In Ecclesia offertur panis & vinum, antitypum carnis & sanguinis Christi: & qui de pane visibili accipiunt, spiritualiter carnem Domini edunt.* Sic Gelasius in libro de duabus naturis in Christo. *Non desinit esse substantia vel natura panis & vini: & certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur.* Sic passim alij docent, corpus Christi, quod à fidelibus accipitur, substantiam sensibilem panis non excludere. In tantâ luce plura adducere non est opus. Hæc Stuck. loc. cit.

Jam prius fol. 29. in hunc finem adduxit Irenæum, &: Pulchrum est, inquit, Irenæi monitum lib. 4. adversus hæreses: Qui est à terrâ panis, percipiens vocationem divinam, jam non communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus constans, terrenâ, & cælesti, non intereuntibus utique, sed permanentibus. Hæc Stuck.

Quin imò fol. 21. affert locum D. Ephræmi apud Photium in Bibliotheca cap. 229. p. 415. *Corpus Chri-*

sti, inquit, *quod à fidelibus accipitur, substantiam visibilem, panis videlicet, non amittit, sed à gratia sub intelligentiam cadente inseperatum manet. Baptismus quin etiam, etsi totus spiritualis sit factus, & unus existat, proprietatem substantiæ sensibilis, aquæ nimirum, servat, & quod fuit, esse non desinit.*

Respondeo I. Verba SS. Patrum non admodum fideliter à Stuckio adduci. Nam Theodoreti verba Dial. I. juxta germanam versionem, sunt hæc: *Manifestum est institutum ijs, qui sunt divinis Mysterijs initiati. Volebat enim* (Servator) *eos, qui sunt divinorum Mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur, sed, propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratiâ, credere.* En Stuckius omisit has duas voces: *quæ videntur*: & malè particulam *Propter* mutavit in particulam *Per*. Cur autem hæc egerit, paulò post ex resp. 2. patebit.

Verba quoque ex Dial. 2. juxta versionem genuinam sunt ista: *Neque enim signa mystica post sanctificationem*

nem recedunt à suâ naturâ. Manent enim in priore substantiâ, & figurâ, & formâ, & videri, & tangi possunt, sicut & prius; intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur. Non urgebo, quòd hæc ultima verba Stuckius omnino in sua citatione omiserit, quia ijs, qui mysterijs initiati & instructi sunt, satis produnt, cujus præsentiam ipse D. Theodoretus in Sacramento agnoverit. Illud solùm adverti volo, quod ipse Stuck. loco verborum *Sicut & prius* reddiderit hæc: *Qualia etiam prius erant.* Aliud sanè est, mystica symbola videri, tangíque posse, *sicut prius:* & aliud est, ea videri, tangíque posse *qualia etiam prius erant.*

Gelasij quoque doctrina melius innotuisset, si Stuckius non tantùm illa pauca verba, sed & antecedentia, & consequentia attulisset. *Certa Sacramenta*, inquit Gelasius, *quæ sumimus, Corporis & Sanguinis Christi, divina res est, propter quod per eadem efficimur divinæ consortes naturæ. Et*

tamen esse non desinit substantia, vel natura panis & vini. Et certè imago, & similitudo Corporis & Sanguinis Christi in actione Mysteriorum celebratur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, ac sumimus. Ut sicut in hanc, scilicet in divinam, transeunt Sancto Spiritu perficiente substantiam, permanente tamen sua proprietate natura, sic illud Mysterium principale.

Nec textus Ephræmi in suâ puritate relinquitur: is enim apud Photium loc. cit. his verbis legitur. *Corpus Christi, quod à fidelibus accipitur, substantiam visibilem non amittit, &c.* En hisce paucis verbis Stuckius inseruit hæc: *Panis videlicet*: & quidem eodem charactere, ut ipsissima verba Ephræmi esse videantur.

Nec Irenæo parcitur, cujus verba hæc sunt: *Quomodò autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? &c. Offerimus enim ei, quæ sunt ejus, con-*

gruen-

gruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & ſpiritûs. Quemadmodum enim, qui eſt à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans terrenâ & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia. Hæc Irenæus. En verba illa: *non intereuntibus, ſed permanentibus*, addidit non Irenæus, ſed ipſe Stuckius. Hic poſitis.

Reſpondeo 2. Theodoretum, Gelaſ. Ephræm. loc.cit. (quemadmodum & tituli, & textus ipſe docent) non agere ex inſtituto de Euchariſtia, ſed contra illos hæreticos antiquos, qui docebant, quòd in Chriſto una tantùm ſit natura, nempe divina: humana autem à Verbo aſſumpta fuerit tranſmutata (ſaltem poſt reſurrectionem) in ipſam Divinam naturam. Hi hunc ſuum errorem probare conabantur inter alia etiam argumento à pari de Euchariſtiâ, docendo: quemadmodùm in Euchariſtiâ unica

tantùm

tantùm natura sit, nempe natura corporis Christi, natura autem panis transmutetur in ipsam naturam seu substantiam corporis Christi; sic & in Christo, aiebant, factam esse transmutationem. Patres non modò ostendebant, hoc argumentum à pari contra fidem Ecclesiæ productum esse infirmum; sed idipsum contra Adversarios retorquebant, lubentes concedendo, quòd per sanctificationem in Eucharistiâ mutatio, quam ipsa nominum mutatio indicet, fiat, ita ut panis & vinum *in divinam transeant sancto Spiritu perficiente substantiam*: at verò, addebant, hanc mutationem fieri circa naturam invisibilem, quæ tantùm cadit sub intelligentiam, *permanente tamen sua proprietate naturæ*, ut ait Gelas. quæ proprietas aliud non est, quàm accidentia naturæ alicui debita, *quæ videri, tangique possunt, sicut prius.* Et ideo ipsi concedebant, idem etiam jure merito *de illo Mysterio principali*, nempe de Incarnatione, *cujus imaginem & similitudinem in Mysterio Eucharistiæ profitemur, celebramus*

bramus & sumimus, sentiendum esse: nempè, etsi mutatio quædam fiat per Unionem hypostaticam, attamen permanere naturam corpoream humanam cùm ipsâ naturâ divinâ, quemadmodum sensibilis natura panis & vini etiam post sanctificationem *manent in priori substantiâ & figurâ & specie, & videri, tangique possunt, sicut priùs*, ut ait Theod. Dial. 2.

En, Patres juxta communem Ecclesiæ Christianæ fidem (quam in hoc mysterio nec Adversarij negabant) indubitatum supponebant, corpus & sanguinem Christi in Evchariſtiâ realiter adesse, quemadmodum natura divina realiter in Christo est; & paritatem faciebant inter naturam humanam corpoream in Christo, & naturam sensibilem Mysticorum symbolorum in Evchariſtia: & ideo instanter urgebant, non quòd mutatio fiat, quam adversarij ultro concedebant, sed quod sensibilis natura panis & vini remaneat post sanctificationem, factâ, Spiritu sancto perficiente, muta-

mutatione, quam ipsa nominum mutatio, quæ post sanctificationẽ fit, satis indicet. Et hoc ideo, uti dixi, faciebant, ut à paritate ab adversarijs etiam admissâ, evincerent, in Christo, facta incarnatione, præter naturam divinam invisibilem, remanere etiam naturam humanam corpoream, & sensibilem &c. Hinc manifestum est, hæc loca SS. Patrum contra nostros quoque Adversarios (qui realem substantiam corporis Christi in Evchariſtiâ realiter adesse negant, & toti sunt, ut unicam symbolorum sensibilium mysticorum, nempe panis & vini naturam adesse, evincant) efficaciter pugnare, & manifestè docere, quòd, sicut in Christo præter naturam humanam visibilem realiter est natura divina, & cum humanâ unum constituit Christum, sic in Evchariſtia adsit invisibilis natura corporis & sanguinis Christi, simul cum naturâ sensibili panis & vini, & sic ex his unum constituatur Sacramentum.

Instabis I. Ergò SS. Patres etiam indubitatum supponebant, naturam seu

seu substantiam panis ac vini in Eucharistiâ, etiam post consecrationem, remanere, quod vos negatis.

Respondeo, & distinguo: supponebant, & loc. cit. docebant, remanere naturam panis ac vini insensibilem, quæ solùm sub intelligentiam cadit, & est radix suarum proprietatum & accidentium seu specierum, nego: supponebant remanere naturam sensibilem, quæ est ipsa natura accidentium, seu ipsa accidentia panis & vini, *quæ videri, tangi, palpari, &c.* possunt, concedo. Et certè SS. Patres naturam hanc duplicem agnovisse & distinxisse, satis ex loc. cit. patet; nam Theodoretus de sensibili natura, seu de ipsis accidentibus loquitur, dum ait: *Voluisse Dominum, Sacramentis utentes non intentos esse in naturam eorum, quæ videntur.* De insensibili autem loquitur, dum addit: *sed propter nominum mutationem credere ei, quæ ex gratiâ facta est, mutationi.* Cùm enim *naturam eorum, quæ videntur*, permanere hîc supponat, & idem dial. 2. apertè doceat, & simul

dicat, mutationem fieri, hinc satis apparet, quòd mutationem circa insensibilem naturam fieri supponat, ac doceat. Rursus de sensibili naturâ ait, *signa, quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans.* Rursus de eâdem sensibili naturâ ait dial. 2. *Neque signa mystica post sanctificationem recedunt à suâ naturâ: manent enim in priori substantiâ, & figurâ, & formâ, & videri & tangi possunt, sicut & prius.* Sanè hæc naturæ seu substantiæ insensibili non conveniunt, sed id, quod sequitur: *Intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt* (nempe per mutationem insensibilis naturæ panis in naturam insensibilem corporis Christi) *& creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur.* En ea, quæ mutantur, & fiunt, nec videntur, nec palpantur, sed intelliguntur & creduntur &c. & ideò non de sensibili, sed de insensibili naturâ intelligenda sunt. Eodem modo, ut videas, quòd D. Ephræm naturam etiam hoc modo distinguat, advertas velim,

velim, quòd is ait: *Corpus Christi, quod à fidelibus accipitur, substantiam visibilem non amittit.* De insensibili naturâ addit: *sed à gratiâ sub intelligentiam cadente inseparatum manet.* Similem distinctionem facilè advertere est etiam àpud alios Patres. Profectò non potest dari alia solida ratio, ob quam SS. Patres toties inculcent, symbola mystica quoad naturam eorum, quæ videri, palpari &c. possunt, remanere, nisi ut manifestiùs appareat, ipsos docere, non quamlibet naturam, sed solam naturam symbolorum seu panis & vini sensibilem remanere, quæ natura nihil aliud sit, quàm ipsæ species, seu accidentia panis & vini, quæ videntur, palpantur &c. sicut prius. Et hoc nos non negamus, sed utique concedimus. Theophrastus librum inscripsit de naturâ plantarum, in quo non de materiâ & formâ, seu de invisibili earum naturâ disputat, sed de qualitatibus v. g. an sinapi sit siccæ, calidæ, vel frigidæ naturæ &c. quam sensibilem naturam periti medici ipsis sensibus præsertim

tim gustatûs & odoratûs indagare solent. Sic etiam S. Ambrosius lib. de myst. cap. 9. dicit. Hebræis mare rubrum transeuntibus, naturam maritimorum fluctuum esse mutatam: & tamen non est mutata natura insensibilis, seu interna substantia maris, sed sola gravitas, ac fluibilitas, quæ sunt accidentia, & dicuntur ipsa sensibilis natura maris.

Instabis 2. Theod. dial. 2. expresè de symbolis ait: *Manent in priore substantiâ*: Gelasius quoque dicit: *Non desinit substantia, vel natura panis & vini.* Ergo nulla est data distinctio.

Respondeo, Patres, vel potiùs ipsorum interpretes, nomen *substantiæ*, quemadmodum, uti dixi, & nomen *naturæ*, non in strictiore, sed ampliore sensu sumere, & per *substantiam* intelligere id, quod alicui rei proprium, ac naturaliter debitum est, qualia etiam sunt ipsa accidentia, imo & opes alicui debitæ, ita ut *substantia* hîc nihil aliud sit, quàm *natura sensibilis*, seu accidentia alicui essentiæ naturaliter debita. Et quidem, ut manifestè

festè appareat, rem ita se habere, primùm adverto, quòd Gelasius postmodum de his symbolis dicat: *in hanc, scilicet in divinam transeunt, S. Spiritu perficiente, substantiam, permanente tamen suæ proprietate naturæ:* Ergo, subjungo, permanet proprietas naturæ. Quæ autem est hæc *proprietas naturæ*, nisi accidentia, seu ea, quæ videri, tangi, &c. possunt, sicut prius? Et quid est id, quod, hâc *naturæ proprietate permanente, in Divinam transit S. Spiritu perficiente substantiam?* Sanè non aliud, nisi ipsa natura, seu substantia insensibilis panis & vini, quæ non sub sensus, sed sub intelligentiam cadit. At verò nomen *substantiæ* etiam in ampliore sensu sumi, patet ex pluribus locis. Sic Deus dicitur deleviſſe per diluvium *omnem substantiã.* Gen. 7. 23. *Abraham quoque tulit Sarai uxorem suam, & Loth filium fratris sui, universámque substantiam, quam possederant.* Gen. 12. 5. Similia leges. Gen. 13. 6. & 14. 11. &c. Sathan ait ad Deum de Job. *Nonnè tu vallâsti eum, ac domum ejus, universámque substantiam ejus?* cap. 1. 10.

1. 10. En per *subſtantiam* bona ad aliquem pertinentia intelliguntur: cur ergo non etiam accidentia, quæ magis rei inhærent, quàm hujuſmodi bona externa, *subſtantia* ejus dici poſsint: David exclamat: *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Pſal. 38. 6. Sanè hîc & alibi totam ſuam naturam tam viſibilem, quàm inviſibilem intelligit. Hinc Theodoretus loc. cit. (ut intelligas, de quâ ſubſtantiâ loquatur) non tantùm ait, *manent in priori ſubſtantiâ*, ſed addit, & quaſi inculcat: *& figura, & forma, & videri & tangi poſſunt, ſicut & priùs.* En quàm clarè prodat, ſe de ſubſtantiâ, naturâ, & formâ, quæ videri, & tangi poſsint, ſeu de ipſis accidentibus, ſeu naturâ ſenſibili loqui!

Cæterùm ſciendum eſt, Theodoretum, Ephræmum &c. non latinâ, ſed græcâ linguâ ſcripſiſſe, & eos uſos eſſe nomine οὐσία, quod latini interpretes jam *eſſentiam*, jam *naturam*, jam *ſubſtantiam* vertunt: οὐσία autem derivatur à participio fæm. præſentis temporis οὖσα à verbo εἰμὶ, *ſum*,

sum, & ideo οὐσια idem est ac *essens*, si liceret inusitato verbo uti. Quare sicut ab hoc *essens* derivatur nomen *essentia*, sic ab οὐσια nomen οὐσία significans omne id, quod alicujus est, seu ad aliquem pertinet. S. Chrysostomus Græcæ linguæ peritissimus hom. 12. in Gen. loquens de igne Babylonico, ait: *Vidisti, quòd quando Dominus vult, elementa omnia in contrariam mutat essentiam.* In Græco est μεθίστιν οὐσίαν. Tom. 2. Edit. Par. fol. 104. At, quòd nec in igne Babylonico, nec in mari rubro fuerit mutata interna, sed tantùm externa substantia, seu natura ignis ac maris, id est, ipsæ qualitates, docet August. relatus supra fol. 161. Minimè ergo gratis dicimus, etiam à prædictis PP. per οὐσίαν *naturam* seu *substantiam* non intelligi loc. cit. substantiam internam invisibilem (etsi hæc sola in rigore scholastico dici soleat *substantia*) sed naturam sensibilem seu ipsa accidentia, maximè cùm PP. expressè eam vocent *sensibilem naturam ac substantiam*, & indicent mutationem

nem insensibilis substantiæ fieri, uti dixi fol. 187. S. Lucas, & ipse linguæ Græcæ peritissimus, οὐσίαν *substantiam* in sensu adhuc magis amplo sumit, nempe pro ipsis opibus. Nam cap. 15. dum refert filium prodigum ad patrem dixisse: *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit*: v. 12. utitur etiam nomine οὐσία. Δός &c. τῆς οὐσίας. Et rursus διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ait: *Dissipavit substantiam suam.* v. 13. Cur ergo miremur, si & Patres, vel eorum interpretes, subinde per nomina οὐσία, *natura*, *substantia* intelligunt ipsa accidentia alicui rei debita?

Instabis 3. Quidquid realiter sit natura, seu substantia sensibilis panis & vini, Patres dicunt, panem & vinum esse *visibilia*, & *mystica symbola ac signa corporis & sanguinis Christi.* Panis & vinum dicitur a Macario Ægyptio *antitypum carnis & corporis Christi.* A Gelasio, *Imago & similitudo corporis & sanguinis Christi.* Ergo in Eucharistiâ non est realiter ac substantialiter præsens verum corpus

pus & sanguis Christi, sed tantùm natura panis & vini, veluti *signum, symbolum, antitypum, imago, & similitudo* veri corporis & sanguinis Christi in cœlo.

Resp. &, concesso antecedente, nego consequentiam. Nec immeritò: quæ enim esset consequentia, si quis diceret; *Corona & purpura sunt signa ac symbola regis: sed corona & purpura manifestè cernitur in eo, qui sedet in throno, ergo in throno non adest realiter ipsa persona regis, cuius signa ac symbola adsunt?* Quid convenientius, quàm ut palmea corona gestetur in capite ipsius victoris, cujus signum ac symbolum est? Jam supra fol. 165. vidimus, quòd ipse Stuckius evincere conatus sit, non tantùm conveniens, sed & necessarium esse, ut id, quod sustinet analogiam, in Sacramento realiter præsens existat. Cur ergo concludatur, Corpus Christi in Eucharistia ideo non adesse realiter, quia ipsius signum ac symbolum adest? Præsentiam realem Regis aliàs mihi incogniti ex signis ac

symbolis, nempe ex coronâ & purpurâ agnosco: cur non & ipsam corporis Christi præsentiam agnoscam in Evchariſtia ex ipsis ejusdem signis ac symbolis mysticis? Certè prædicti Patres numquam negant, ipsum corpus Christi realiter in Sacramento adesse, licèt dicant, quòd ejus mystica symbola ac signa adsint; sed apertè docent, utrumque adesse, & etiam, (mutatione, *Spiritu Sancto perficiente*, factâ) permanere, & sic duo esse in Sacramento, unum visibile, quod sub sensus cadit, & videri ac tangi potest. alterum invisibile, quod sub intelligentiam cadit, creditur & adoratur. Hinc patet, cur clarè Irenæus dicat: *Evchariſtia ex duabus rebus constat, terrenâ & cœlesti.* Terrena, scil. naturâ sensibili panis, Cælesti, scil. corpore Christi.

Resp. 2. quòd sensibilis natura panis (idem semper intellige de vino) etiam ob aliam rationem ab antiquis Patribus (& præcipuè loc. cit. à Gelasio) dum de duabus naturis in Christo agunt dicatur *antitypum*, *imago*, ac

ac similitudo, vel etiam subinde *figura* corporis Christi, nempe quia inter sensibilem naturam panis in mysterio Evchariſtiæ, & inter corpus Christi *in mysterio principali* incarnationis, singularis *similitudo* est, ut expressè Gelas. & Theod. dicunt. Nam, sicut visibilis natura panis, etiam post sanctificationem, non mutatur, etsi gratia, id est, corpus Christi, ipsi adijciatur (ut ait Theod.) sic natura corporea in Christo non mutatur, etsi per Unionem hypostaticam natura Divina ipsi adijciatur. Unde sicut sensibilis natura panis & vini dicitur signum visibile, seu mysticum symbolum invisibilis corporis Christi in Evchariſtia: sic visibilis & corporea natura humana Christi est signum visibile seu mysticum symbolum ipsius Deitatis. Ideo visibilis natura in Christo dicitur à Theodoreto Dial. 1. *velum* ac *indumentum* Deitatis. Et, ne videatur aliquid novum aut incongruum dixisse, adducit loca S. Scripturæ.

Et primum quidem locum 1. Tim.

3. 16. ubi S. Paulus de filio Dei incarnato ait: *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne &c.* His subjungit Theod. *Quod per carnem manifestatam esse naturam, quæ sub aspectum non cadit, dixit Apostolus, permittit, ut carnem Divinitatis velum intelligamus.* Et rursus: *Divinus Apostolus ad Heb. 10. apertè hoc nomine usus est: ita autem dixit: Habentes ergò, fratres, libertatem in introitu Sanctorum in sanguine Jesu, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam.* v. 20. Hæc Theod. Postmodum, ut hoc confirmet, etiam locum hunc adducit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ indumentum suum.* Gen. 49. 11. Et quærit: *Ostende ergo, quando, vel ubi in sanguine uvæ laverit indumentum?* Hinc ipse concludit, per *sanguinem uvæ* intelligi verum sanguinem, & per *indumentum* ipsam carnem Christi, quia caro seu carnea natura Christi est veluti *velamen* ac *indumentum* naturæ divinæ, quæ sub illa

illa sensiblliter continetur, & per illam quodammodo visibilis redditur. Quare argumentum SS. Patrum hoc syllogismo continebatur.

Sicut se habent mystica symbola panis ac vini in mysterio Evchariſtiæ, sic se habet corpus Christi in mysterio Incarnationis.

Sed mystica symbola panis ac vini in mysterio Evchariſtiæ, etiam post sanctificationem seu consecrationem, remanent in priori naturâ sensibili, licèt corpus Christi sub illa adsit.

Ergo etiam corpus Christi in mysterio incarnationis post unionem hypostaticam, remanet in suâ naturâ sensibili seu corporeâ, etsi divinitas sub ipso adsit.

En Patres, quin & adversarij eorum, supponebant indubitatum, in mysterio Evchariſtiæ verum corpus Christi sub mysticis symbolis panis & vini, quasi sub velamine adesse realiter; quemadmodum in mysterio Incarnationis sub corpore humano, veluti sub velamine realiter adest divina natura: & ideo ab ipsis mystica

symbola Evchariſtiæ vocabantur *antitypus, imago, ſimilitudo,* vel etiam *figura* corporis Chriſti, quod in myſterio Incarnationis in ſua natura manet.

Inſtabis 4. S. Macarius ait: *Qui de pane viſibili accipiunt, ſpiritualiter carnem Domini edunt.* Ergo non realiter ac ſubſtantialiter.

Reſp. 1. Conceſſo antecedente, juxta explicationem datam, nego conſequentiam; nam S. Pater, dum ait, ſpiritualiter carnem Domini edi, non negat, eam ſimul realiter ac ſubſtantialiter edi; ſed tantùm negat, eam non edi carnaliter, ſeu cruento modo, eo nempe, quo Capharnaitæ carnem Domini edendam ſibi perſuaſerunt. Joan. 6. 52.

Reſp. 2, Etiamſi S. Pater per comeſtionem ſpiritualem etiam intelligeret comeſtionem, quæ fit per veram fidem, adhuc non immeritò negari illatam conſequentiam. Nam ex eo, quòd aliquis carnem Domini ſpiritualiter verâ fide edat, nõ ſequitur, quòd eam ſimul non etiam verè, realiter, ac ſubſtantialiter edat. Imo, ſi quis

si quis vult corpus Christi dignè ac utiliter sumere, necesse est, ut id non tantùm realiter; sed etiam spiritualiter cum verâ fide ac spiritu sumat, uti docet Concilium Trid. sess. 13. cap. 6. *Nam rectè ac sapienter*, ait, *Patres nostri tres rationes hoc S. Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores: alios autem spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cælestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem sentiunt. Tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter: ij autem sunt, qui ita se prius probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant.* Evincant adversarij, neminem posse corpus Christi simul & spiritualiter, & sacramentaliter re ipsâ sumere, ut ex hoc ritè concludant, Patres negare sumptionem realis corporis Christi, dum dicunt, id sumi spiritualiter. Sed de his plura infra.

Instabis 5. S. Ephræm comparat

sacramentum Evchariſtiæ cum Baptiſmo; ſed ſymbolum viſibile Baptiſmi eſt mera aqua naturalis. Ergo etiam ſymbolum viſibile Evchariſtiæ eſt merus panis & vinum naturale.

Reſp. 1. falſum eſſe quod S. Ephræm loc. cit. Evchariſtiam & Baptiſmum inter ſe comparet; nam uti totum textum legenti manifeſtè apparet, ipſe comparat naturam Chriſti cum Evchariſtia, & cum Baptiſmo, ut evincat, in Chriſto duas naturas eſſe, humanam corpoream viſibilem, & divinam ſpiritualem inviſibilem: uti ſatis hactenus. Ideo ait: *Baptiſmus, quin etiam &c.*

Reſp. 2. Etſi S. Ephræm aliquam comparationem inter Evchariſtiam & Baptiſmum faceret, non ſequitur, paritatem in omnibus eſſe oportere. Quare licèt paritas aliqua cõcedatur, non neceſſariò ſequitur: Ergo paritas eſt in hoc vel illo: poteſt enim eſſe in alio. Sanè nec S. Ephræm, nec ullus alius S. Pater paritatem inter Evchariſtiam ac Baptiſmum hanc eſſe dicit, quòd, ſicut in Baptiſmo mera aqua

aqua absque ulla ejus vel visibilis vel invisibilis naturæ mutatione permanet, pari modo & visibilem naturam, (seu speciem) & invisibilē substantiam panis ac vini in Evchariſtia permaneat. Contra, quòd multò excellentiori, imò alio prorsus modo de Evchariſtia SS. PP. loquantur, quàm de Baptismo, supra ostendimus, fol. 80. 83. 86. 90. 104. &c.

Ex his collige I. quàm falsum sit, quod Stuckius ait: *Patres hoc ipsum clarissimis docent verbis*, nisi velit concedere, hoc ipsum esse id, quod Ecclesia Catholica adhuc hodierno die docet, & firmiter credit, nempe verum corpus & sanguinem Christi in Evchariſtia verè ac realiter post consecrationem adesse, & ore non tantùm cordis; sed & corporis, realiter sumi. 2. Verba ex prædictis SS. PP. à Stuckio allata non esse clarissima, sed satis obscura. Nec mireris velim: nam SS. PP. non coram omnibus de hoc mysterio clarissimis verbis loquebantur, nec coram ipsis cathecumenis, quod possem ex S. Augustino

& alijs SS. Patribus probare: at sufficiat testimonium ipsius Theodoreti, cujus authoritatem tanti facit ipse Stuckius, ut eam quasi irrefragabilem præ omnibus alijs primam objecerit. Hic Pater, quàmprimum de hoc divino (sic id ipse etiam vocat) mysterio agere incipit, in utroque dialogo ad Eranistem, cum quo loquitur: ait.

Velim te paulò magis mysticè respondere. Adsunt enim fortasse nonnulli, qui non sunt initiati mysterijs. Tum Eran. *Ita audiam, & ita respondebo.* Dial. 1. Et rursus: *Non oportet apertè dicere; est enim verisimile, adesse aliquos mysterijs non initiatos.* Tum Eran. *Respondeatur ænigmaticè.* Sic Dial. 2. En, an *clarissimis verbis* locutus sit? Et quidem, si, uti ait Stuck. *sic passim alij docent Patres,* cur clariora & sibi melius conducentia loca non adduxit? Certe jam supra fol. 77. vidimus, Patres passim docere, veram internam substantiam panis ac vini non manere, etsi externa sensibilis (id est, ipsa accidentia) maneat. Imò quæro, cur de hoc Sacramento, coram

coram non initiatis, non *apertè*, sed *mysticè*, quin & *ænigmaticè* loqui oportuit? Certè non aliâ de causâ, nisi quia doctrina, quam jam tunc Christiana Ecclesia docebat, (nempe in hoc Sacramento sub signis seu accidentibus panis ac vini verè ac realiter corpus & sanguinem Christi præsentem esse, atque à fidelibus sumi) ijs, qui nondum mysterijs initiati & fide firmi erant, scandalo ac horrori fuisset, quemadmodum doctrina de mysterio principali, puta de Incarnatione, *Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia fuit.* 1. Cor. 1. 23. Imo quemadmodum hoc ipsum Christo contigit: nam dum, Joan. cap. 6. diceret: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, v. 51. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, v. 55. *Multi audientes ex discipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* v. 60. *Ex hoc*, ait Joannes, *multi discipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo ambulabant.* v. 66. Cùm autem Jesus diceret ad duodecim, *Nunquid*

& vos vultis abire. v. 67. *Respondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* v. 68. 69. En, hoc, uti & illud principale mysterium, fidem firmam requirit. Certè si Patres de hoc mysterio nihil aliud docuerunt, quàm quod hodie docent prætensi Reformati, causa non erat, cur de eo mysticè ac ænigmatice loquerentur coram ijs, qui fide adhuc infirmi erant. Sit ergo doctrina Ecclesiæ Catholicæ de hoc mysterio Eucharistico nostris adversarijs, tanquam fide infirmis, *scandalum* ac *stultitia*, ut ideo à divino hoc dono recedant: sane est mysterijs initiatis, & vera fide firmis, seu (quemadmodum de Christo crucifixo Paulus ait, *Ipsis vocatis Dei virtus, & Dei Sapientia.* 1. Cor. 1. 24.

C A-